

de nobis et nostris utilitatibus acquisitis ut preciperem. Iuxta velle igitur de mea continentia satisfacio voto vestro, quia, benedictus Deus, habundanter gaudeo in prosperis, quod de vobis semper audire delector, precipue volentes, quod nobis precipiatis audacter, quia sollicitus anhele ad ea, que vestrum honorem exuberent et personam exaltent.

n. 134: Ein vertrauter Untergebener des Thomas v. Capua an eine hochgestellte Persönlichkeit, die den Schreiber in Rücksicht auf den unerwartet verstorbenen Kardinal T(homas) geliebt hat (bald nach August 1239).

Non ex arrogancia vel presumpcione procedit, quod stilus devoti scribentis ad tam magnum dominum audet accedere, sed dolor maximus angit et acerbus. Spes^a, quam de vestra nobilitate gero, confortat, et pura devocio, quam erga vos habeo, movet: et sic hiis tribus adiutus, unde minores semper consueverunt recurrere ad dominos speciales, excellencie dominacionis vestre scribere non audeo, cum nichil sim. Recte namque de presumptione possem notari, si tam minor tanto domino me devotum offerrem.

Sed illa liberalitate, illa curialitatis humanitate munior, qua dignati fuistis condescendere ad diligendum hominem non utilem, non sufficientem servicio tanti hominis, sed intuitu illius bone memorie domini T. cardinalis me dilexistis, qui vos sincere dilexit, in cuius casu aliis plus viventibus^b, in cuius morte mori volui; sed resistente dispositione divina, cui resistere nequeo, quod volui, non occurrit. Exhibet enim michi sua memoria memoriale doloris continuum, et in me ipso consumor recolendo, quam cito, quam presumptuose mors talem et tantum rapuit inimica. Sic igitur tali destitutus solacio vestrum michi supplico succedere, ut videamini post mortem illum in suis diligere, quem dilexistis in vita. Ipsum enim venire conspicio, adverte^c confugiendo liberalitatis auxilium, que pauperibus consuevit affluere habundanter; et dum recogito, quo me colebatis affectu, maxima spe [non]^d frustror^e, et vos de me tanquam de factura vestra disponatis et cogitetis, ut placet, quia me promptum et paratum semper habebitis ad omnia, que vestrum requirunt commodum et honorem.

134. ^a) spēs R ^b) So R; fehlt etwa cadere? ^c) korr. aus adverte R ^d) So doch wohl einzuschieben. ^e) frustor R